

LUNA denique totum Zodiacum percurrit 27. diebus cum horis fere 8. Deinde vero quasi biduum consumit, vt assequatur Solem. Cum enim Sol interim in 27. diebus, & horis 8. percurrat fere 27. gradus, quos fere Luna in biduo absoluit, necesse est, vt ab vna coniunctiōe Lunæ cū Sole intercipientur dies 29. horæ 12. fere. Tale autem spaciū mensis Lunaris appellari consuevit. Verum hæc omnia exactius, atque præcisius explicantur in Theoricis Planetarum.

CAETERVM periodi motuum Planetarum intelligi debent nō de orbibus, seu cælis totalibus, sed de proprijs orbibus planetas deserentibus, qui quidem sunt eccentrici in medio cælorum collocati. In his namque planetæ infixi deseruntur temporibus prædictis. Totales enim cæli planetarum mouentur ab occidente in orientem, eadem prorsus tarditate, qua nonum cælum mouetur. Rursus mouentur motu trepidationis ad motum octauæ sphaeræ: Nullus tamen planeta inferior mouetur ad motum proprium planetæ superioris, eo quod non circa idem centrum proprijs lationibus feruntur.

NON est quoque prætereundem, hos nouem orbes infra primum mobile eisdem temporibus omnino cursus suos esse absoluturos, quo nunc absoluunt, & non citius, etiam si primum mobile quiesceret, vel eos secum non raperet ab oriente in occidentem: Sicut patet in Nauclero, qui motu proprio mouetur contra motum nauis, vel etiam in formica, quæ contra impetum rotæ fertur: Verum tamen est, eos tunc simpliciter ab occidente in orientem deservi, quia nullum tunc daretur instans post aliud, quo non magis ab occidente recederent, & ad orientem accederent; Quemadmodum Nauclerus ille, manente nauis immobili, eodem tempore ad puppim perueniret, & simpliciter ad orientem non solum ad partes nauis orientales accederet.

QUOMODO DEPREHENSVM SIT OMNES cælos simpliciter ab ortu in occasum moueri.

EXPOSITIS tribus motibus cælorum in genere, quorum vnum diximus esse ab ortu in occasum simpliciter, alterū ab occasu in ortum secundum quid, id est a signis occidentalibus ad signa orientalia, tertium denique accessus et recessus, quem motum trepidationis appellant; Declarandum iam est, quamam via & methodo triplicem hunc motum
in cor-